

sunt, quibus ex Italia in Germaniam iter habetur, imposito,
 discessere. Sed Pontificiæ, ac Cæsaris copiæ, itinere ad Oe-
 nipontem verso, in Noricum se inferunt; inde Ratisponæ
 reliquis Cæsaris copiis adiungunt. Cæsar cum universo exer-
 citu, ac trigintafex aeneis tormentis adversus hostem, qui
 tunc circa Ingolstadium morabatur, proficiscitur: oppidum
 occupat; loco opportuno castrametatur, atque prope adeo
 ex utraque parte Cæsaris, atque hostium castra erant, ut ad
 tormentorum jactum consistentibus, justis prælii minime pe-
 riculo facto, minutis tantum certaminibus dimicaretur, ma-
 gnaque globorum vis hinc, atque inde terribili fragore jace-
 retur. Hoc ingenti totius Germaniæ tumultu, ac diffidiis
 exortum bellum cum exitum habuit, ut cum paulatim hostes
 debilitare, quam certaminis aleam subire satius esse Cæsar ar-
 bitraretur; terrorem sæpius incutiendo, nonnulla oppida vel
 deditione, vel vi occupando, eo foederatos adegerit, ut vel
 pecuniæ difficultate, vel tributorum acerbitate dissentientes
 jam laborarent, ac pristinum vigorem remitterent. Cum ve-
 ro Ferdinandum, a Mauritio Saxonum Duce adjutum, Jo-
 annis Federici diriones cum magna militum manu ingressum
 nuntiaretur, tantus terror hostes affecit, ut ingens illorum
 exercitus, compluribus signa deferentibus, ac dilabentibus,
 concideret. Inde cunctarum fere civitatum, & Principum
 animorum mutatio consequuta est, qui incredibili Cæsaris
 felicitate fracti, veniam delicti deprecantes, sese illi subdide-
 re, ut quatuor mensium spatio potentissimæ gentis fastum re-
 tuderit; Smacaldicum foedus disjecerit; Imperii decus, ac
 dignitatem non modo constantissime retinuerit, sed etiam fe-
 licissime auxerit. Inde pontificiæ in Italiam copiæ revertun-
 tur. Alexander Farnesius, Cardinalis Legatus, Romam pro-
 ficiscens, Venetias accessit, eximiaque in se publicæ, ac pri-
 vatæ benevolentiae, & singularis in Pontificem voluntatis ar-
 gumenta tulit.

Ceterum tam brevi parva, atque omnium populorum con-
 celebrata vocibus Caroli felicitas Pontificis animum varie agi-
 tabat: modo Venetorum consilia; modo rerum eventus se-
 cum reputare; adhuc Tridenti Concilium patere, licet bel-
 li, & grassantium morborum metu nonnulli discessissent:

1546
*Italica co-
 pia per No-
 ricum Cæsa-
 reano exer-
 citu se ad-
 jungunt.
 Ingolstadii
 a Cæsare
 capta.*

*Ferdinandus
 Rex Joan-
 nis Federici
 Saxonis di-
 riones inva-
 dit.
 Germani
 Principes
 veniam a
 Cæsare pe-
 tunt.*

*Alexandri
 Farnesii
 Cardinalis
 Venetias
 adventus.*